


“Documentos Mozarabes”



Privilegio del Rey Alfonso VI de Castilla y León, reconquistador de Toledo, otorgado en 20 de marzo del año 1101 (Era de 1139), que se conserva inserto en el Privilegio Rodado que el Rey Don Pedro I otorgó en las Cortes de Valladolid a 25 de octubre de 1351 (Era de 1389), confirmando los Privilegios y Exenciones concedidos por sus predecesores a los Mozárabes Toledanos (*).

“Sub Christi nomine. Ego Aldefonsus Dei gratia Toletani Imperii Rex et Magnus Triumphator: Una pariter cum dilectissima uxore mea Helisabet Regina. Ad totos MOZARABES DE TOLEDO, tam Cavalleros quam Pedones, pacem in Christo atque perpetuam salutem. Cum preteritis temporibus fuerint factas in Toledo multas pesquisitiones super cortes et hereditates, sic de presuria quomodo et de comparato, et cum tollerent ad illos qui magis habebant et darent ad eos qui nihil aud qui paucos habebant. Nunc ego iam quero imponere finem a istam causam et nolo ut amplius fiat. Ideo autem in mense marcio mandavi ad domino Johanne. alcaidi qui prepositus ipsius civitatis et iuridicus Iudex erat, ut cum aluacit don Petro et aliis decem ex melioribus civitatis Inter MOZARABES et Castellanos, ipsemet cum eis exquireret et equaret et cortes et hereditates inter totos Illos divideret et ut quod ipse faceret inconcussum semper et stabile permaneret. Quod tamen secundum meum imperium confanctum fuit atque completum. Nunc ego, a supradictis pesquisitoribus rogatus et eorum precibus inclinatus, facio hanc Cartam firmitatis ad totos ipsos MOZARABES de Toletto cavalleros et pedones ut firmiter habeant semper quantas cortes et hereditates sive terras aud vinneas hodie in suo iure retinent et pro nulla exquisitione non perdant inde quicquam, nec pro nullo rege subsequense, sive Zafelmedina aud Comite vel principe militie de quanto hodie pertinet, quia pro meo iudicio vendiderunt sibi in sempiternum. ET DO EIS LIBERTATEM UT OUI FUERIT INTER EOS PEDES ET VOLUERIT ET POSSE HABUERIT UT MILITET. Et vendendi, dandi. vel possidendi, vel de possessione sua quod voluerit faciendi, liberam in Dei nomine ha-

beat potestatem. Et si inter eos fuerit ortum aliquod negotium de aliquo iudicio secundum Sententiam in Libro Iudicum antiquitus constitutam discutiatur. Et de quanta calumpnia fecerint, quantum solummodo persolvant, ut in carta Castellanorum ressonat, excepto de furto et de morte Judei vel Mauri et de omni calupnia talem eis mandando habere consuetudinem qualem et Castellanis in Toletto conmorantibus. Et si voluerint vineas aud alias arbores plantare aud restaurare, illi qui fuerint pedites deciman inde portionem solummodo ad Regale palatium persolvant. Hoc autem facio pro remedio anime mee et parentum meorum et ut vos omnes quos in hac urbe semper amavi et dilexi, seu de alienis terris ad populandum adduxi, semper habeam fideles et oratores. Ideoque ABSOLVO VOS AB OMNI FECE PRISTINE SUBJECTIONIS ET PRESCRIPTAE LIBERTATI TRADO, ut ab hodierno die et deinceps nec vos nec filii aud heredes vestri ab hac prescripta regula recedatis, et in isto foro semper permaneat evo perenni et per secula cuncta. Amen. Si quis autem, quod fieri minime credo, aud ego. aud aliquis homo de propinquis meis, vel extraneis, contra hoc meum factum ad irrumpendum venerit, quisquis ille fuerit qui talla commiserit, sit excommunicatus et christiane fidei libertate separatus et cum Datam et Abiam, quos terra vivos absorbit quia mandatis Dei rebelles extiterunt, et cum Iuda domini traditore qui laqueo se suspendit et sic vitam cum visceribus fudit in profundo inferni eternas penas lucraturus dimergatur. Et hoc meum factum in cunctis plenam optineat firmitatem.

Facta autem hac stabilitatis Carta in Era MCXXXVIII et noto die XIII Kalenda aprilis. Hoc autem non volo pretermittere